



ALPHONSVS Daualus, Vuaſti Marchio ex nobiliſſi-  
 ma Comitum Aquinatum familia ortus, literis & armis à pueri-  
 tia exercitus, poſt mortuum in Prouincia Narbon. Ant. Læuam,  
 Cæſarianæ militiæ in Italia Dux creatus, & Imp. Legatus anno  
 1536. Caſalium, primam Montisferrati urbem à D. Buriano  
 Gallo captam, mirabili celeritate intra biduum illuc quaſi per-  
 uolans recuperauit. Anno deinde ſequenti, multis & magnis re-  
 bus geſtis ſuam in rebus bellicis ſtrenuitatem comprobauit. Re-  
 paratiſque viribus Albam, Carmanolium, Cherium, Montem-  
 calerium, omnemque circà regionem vaſtans cepit, Pignerolio  
 etiam, ac Taurino obſeſſis. Verùm adueniens Delphinus Fran-  
 ciæ omnia rurfus victor recepit, ipſumque Marchionem longè  
 repulit. Expugnata deinde Montisdiuiſi ciuitate munitiſſima,  
 necnon Saluiliano, & Salutio, aliſque locis, dum Carinianum  
 victus com meatu inſtruere molitur, fortunam expertus eſt ad-  
 modum ſiniſtram. Nam ſub Cerifoliorum ignobili pago Franco-  
 rû virtute, & auſpiciis, Franciſci Borbonij Anguiani, acie pro-  
 fligata, & maxima ſuorum parte caſa, victus, & in fugam verſus  
 eſt anno 1544. Denique poſt certas pacis conditiones inter  
 Regem Francorum, & Imperatorem confirmatas, deceſſit vir  
 maximi animi Alphoſus Daualus, anno 1546. meſe Mar-  
 tio. Vide Gazium.

MARIA Tarraconenſis, ſeu Aragonia, Alphoſi Dauali  
 Vuaſtenſis Marchionis vxor, forma eleganti, nec minori gratia  
 fuit. Verùm prudētia longè magis excelluit. Heroïna pudiciſſi-  
 ma virum fecit pulchra prole parentem, liberis vtriuſque ſexus  
 educiſ, quibus etiam maturè pater viuens prouiſum voluit. Vi-  
 de vt ſupra.